



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. LVIII. Poenæ militares.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

CAPVT LVIII.

Pœna militares.

In militia
parvis de-
lictis ma-
gnapœna.

§.1. **I**N militia, hoc est, viris, quos nulla pietas, aut iustitia, à scelere retrahit, coercendis, opus est, magna seueritate pœnarum: nisi enim timor adfit, omnia pessum eant necesse est.

Fustes.

Primum genus pœnæ multa erat, & vt daretur, pignoris capiendi potestas erat penes Tribunum. Polyb. Eadem quoque in hodiernis manet; quamuis vix expediat ea vti, quia pessimus quisque egen-
tissimus est.

Lapides.

Secundum. Si vigilias neglexisset fuste cædebatur Polyb. Ea pœna est talis. Fustem capiens Tribunus condemnatum leuiter tangit & delibat, quo facto, omnes qui in castris sunt ferientes alius fustibus, alius lapidibus, plerique in castris occidunt. Quod si quis euaserit, nec sic saluerit, quomodo inimici nec in patriam reditus, nec quisquā è necessariis eum recto receperit. Itaque planissime pereunt, quos ea calamitas attingit.

Gladii.

Tertium gladii obijciebantur, sed illud raro. Tacit. ann. 1. Stabant legiones pro concione districti gladiis, reus in suggestu per Tribunum ostendebatur, si nocentem acclamauerant, præceptis datus trucidabatur. & gaudebat cadibus miles, tanquam semet absolueret. Nunc bombardis commilitonum petuntur, eaque mors honestior existimatur.

Bombardæ.

Militibus vero occidendi traduntur, vt inuidia sit penes eos, non Duces. Alexander quos per cruciatus enecari volebat, cohorti tradebat, vt ceteri crudelitate, fidem suam probarent.

Varii cruciatus.

Quartum supplicium. Macedones faxis obruebantur. Curt. l. 6. Omnes à Nicomacho nominati, more patrio, dato signo Saxi obruti sunt.

Securis.

Quintum. Securi percussi, qui reliquerant ordinem. Liuius lib. 2. Appius Consul Centuriones, dupliciarioque qui reliquerant ordinem, virgis cæsos securi percussit. Integra legio, quæ Rhegium occuparat, securi percussa est. Gladio nunc percutiuntur, virgæ vtilitate in militia non sunt.

Virgæ.

Sextum. ad mitigandam pœnam mortis inuenta est sanguinis missio, quæ ignominie causa fieri solita fuit. Agell. l. 10. c. 8. Fuit hæc quoque antiquitus militaris animaduersio, iubere ignominie causa militi venam solui, & sanguinem dimitti: Cuius rei ratio in Veteribus literis, quas equidem inuenire potui, non exstat: sed opinor factum hoc primum in militibus stupentis animi, & à naturali habitu declinantis, vt non tam pœna, quam medicina videretur. Postea tamen ob pleraque alia delicta idem factitatum esse credo per consuetudinem, quasi minus sani viderentur, omnes qui delinquerent.

Pœna solutio.

Alia quoque delicta sunt punita. Polyb. de hisce in hunc modum. Oportet attendere & auscultare milites Tribunum, Tribunos Consulibus. Tamen & tribunus ius habet potensque est multandi, pignoris capiendi & verberandi. Idem in socios præficti. Fuste autem percutitur, & si qui furto aliquid abstulit è castris, & qui falsum testimonium dixit, & qui in flore ætatis, corpore suo deprehenditur abusus, itemque qui ter ob eandem culpam multatus fuerit. Hæc talia vt crimina puniunt: At ignauia & militari probro adscribunt ista. Si qui falso aliquod strenuum factum suum referunt ad Tribunos, honoris præmiique causa. Si qui in presidio aut statione positi, per metum deseruerunt locum. Si quis armorum aliquid abiecerit in ipso discrimine per metum. Eoque fit, vt quidam in presidio certo pereant, pluribus ingruentibus, dum locum verentur deserere metu huius pœnæ. Quidam etiam in ipso conspectu, & excusso scuto aut gladio, aliove ex armis, causa fortuito, iaciunt se ipsi in hostes, certi aut recuperare quod amiserint, aut occumbentes effugere manifestam ignominiam, & opprobria suorum.

Opprobria.

Septimum. Sortito interdum ad pœnam vocan-

tur. Polyb. Quod si plures peccasse contingat, & manipulos aliquot simul locum deserere: omnes quide fuste percutere aut occidere nolunt, modum autem rationemq, repperit, & commodam pariter & terribilem. Exercitum enim aduocans Tribunus, & in medium noxiu productis, acriter eos incusat, & interdum quing, alias octo aut viginti, & vt semel dicam, ad multitudinem semper respiciens, vt decima fere pars delinquentium sit, hos ex omnibus ignauis sortitur: & in quos ea fors cecidit, sine vlla deprecatione, fuste percutit ad modum iam dictum. Reliqui hordeum pro tritico admetiens iubet extra vallum tendere & tutelam castrorum. Ita periculo & metu à sorte aqualiter omnibus impendente, & exemplo item dati hordei ad omnes perueniente plurimum ex eo more capitur & terroris & correctionis. Decimatio erat illa, Romanis vsitata, quam aliquando in vicefimationem & centesimationem mutabant. Capitolinus in Macrino: Cum sectiones militares pateretur, multo sapius decimauit, aliquando etiam centesimauit, quod verbum proprium ipsius est, quod se clementem diceret, quando eos centesimaret, qui digni essent decimatione.

Decimatio.

Vicesima-

tio.

Centesima-

tio.

Octauum. Fuste à centurione percutiebantur seu vite, interdum grauiter, Catilina M. Marium inspe-
ctante populo Romano per totam urbem vicibus cecidit. Nunc quoque fuste percuti mos est, non prius tamen more.

Vitis.

Nonum. Virgis cædebantur, si vel capite punien-
di, aut id meriti, mitiori pœna defungerentur.

Virga absq,

morte.

Decimum. Hordeo pasci; Augustus cohortes, qui loco cessissent decimatos hordeo paut. Suet. lib. 24. Non est illa in vsu pœna, vt nec decimatio.

Hordeum.

Vndecimum. Ære dirui, aus æs resignari militi dicebatur, cum scilicet stipendiū negaretur, & anni nō procedebant. Val. l. 2. c. 7. Age, quā grauiter senatus tulit, quod Q. Perillium Consulē fortissime aduersus Ligures pugnantem occidere milites passi essent? Legioni enim neg, stipendium anni procedere, neg, ara dari voluit.

Ære dirui.

Duodecimum. Extra vallum tendere. Liuius l. 10. etiam tentorijs destitui eos ostendit. Et Val. lib. 2. c. 7. Decreuerunt ne quis eorum intra castra tenderet, neve locum extra assignatum vallo aut fossa cingeret, neve tentorium ex pellibus haberet. Rursum autē in ad pristinum militia ordinem proposuerunt, si quis bina spolia ex hostibus tulisset.

Extra val-

lum tendere.

Tertium decimum. Discincti stare ante prætorium, aut in principio, aut fossam fodere iubebantur, tunica induti ad omnium ludibria. Iulianus Cæsar indutos veste muliebri per castra deduxit, ratus viris eam pœnam morte grauiorem futuram. Charondas qui arma pro patria non cepissent, in foro tres dies in vestibus muliebris sedere iussit.

Discingi.

Vestes mu-

liebres.

Decimum quartum pœnæ genus inter mediocria grauissimum, mutare militiae genus. Equites ad pedes, pedes ad funditores reijciebantur. Liuius l. 25. Val. l. 2. Ammianus l. 24. & 25. & 29. Quod si aliqua in parte officio deessent, ad inferiorem militiam detru-
debantur. Captiui à Pyrrho remissi, eques ad pedem, pedes ad velitem redacti, iussi extra vallum tendere, donec singuli bina hostium spolia tulissent. Postrema pœna in missos sub iugum ab Hannibale vsus est Otacilius. Domitius Corbulo virtute ignominiam redimere iussit.

Decimum quintum. Stantes cœnam capere, nam prandebant semper stantes. Nunc quoq; stare multas horas grauati magnis bombardis coguntur, si quid deliquerint.

Stantes cœ-

nam capere

Decimum sextum. Pœna quoq; militaris erat hastam dare. Festus censio hastaria dicebatur, cum militi multæ nomine ob delictum militare indicebatur, quod hastas daret.

Hastam

dare.

Decimum septimum. Inter impedimenta iter facere. Ammian. l. 25. ademptis signis hastisque diffra-
ctis, omnes eos, qui fugisse arguebatur, inter impedi-
menta, & sarcinas & captiuos agere iter imposuit.

Inter impe-

dimenta

ambulare.

Zzz 2

Decimum

Extra opida
hibernare.
Linguae ab-
scissio.
Manus ab-
scissio.

Decimum octauum. Extra castra etiam & oppida hibernare cogebantur. Liu. l. 35. Val. l. 2. c. 7.

Decimum nonum. Apud Aegyptios lege sancita lingua illi abscindebatur, qui hostibus secreta consilia prodidisset.

Vicesimum. Manus interdum apud Romanos incidebantur. Ammian. l. 29. Lilius lib. 35. Imo & crura excidebantur. Ammian. l. 23. Signa propria quisque sequatur sciens, quod si remanserit vltimam exectis cruribus relinqueretur.

Crux.

Vicesimum primum. Poena grauior erat aliquando, ut in cruce tollerentur. Liu. l. 30. Nominis Latini qui erant securi percussi Romani in cruce sublatis sunt. Qui ad hostes transfugeret, torquetur, & ad bestias damnatur.

Bestia.

Vicesimum secundum. Sepultura etiam priuati aliquando. Val. Max. l. 2. c. 7.

Ignis.

Vicesimum tertium. Desertores exustos ait Ammian. lib. 29. Hortarius Tribunus exustus est, quod quaedam hostibus perscripserat. Ammian. loco cit. & l. 21. Qui barbaris praedandi facultatem dedissent, aut cum illis praedam diuisissent viui comburantur.

Fumus.

Vicesimum quartum. Auidius Cassius Imperator stipui centum & viginti pedes longo a summo vsque ad imum reos alligabat, alios igne, alios fumo, nonnullos metu necabat.

Crates.

Vicesimum quintum. Sub crate etiam necabantur. Lilius l. 4.

Sagitta.

Vicesimum sextum. Sagittis etiam conficiebantur, ut nunc bombardis. Inultrata haec fuere.

Carpentum

Vicesimum septimum. Macrinus Tribunum, qui excubias deserti passus fuit, carpento rotali super annexum trahi viuum & mortuum iussit.

Arbores.

Vicesimum octauum. Aurelianus militem adulterum de vexis duarum arborum capitibus per pedes alligauit, inde arboribus demissis subito, scissus ille utrinque pendit. Vopisc. in Aurel.

Bonus.

Vicesimum nonum. Macrinus etiam milites duos, qui ancilla hospitis pudorem violarant, bubus inclusit, abscissis iumentorum capitibus, ut facilius colloqui possent.

Bonorum
publicatio.

§. 2. Magna saepe poena fuisse, etiam ubi non magna culpa; finis tamen erat disciplina. Verus est Clearchi dictum: Imperatorem potius, quam hostem metuendum. Miles detrectans pugnam capite punitur. Caius Varienus ne militaret sinistra manus digitos abscidit, & bonorum publicatione punitus est. Traiani tempore pater qui filium, bello inhabilem fecit deportatus est. Ammian. l. 15.

Negatus
conspicuum
parentum.

Auidius Cassius iussit in cruce tolli centuriones, qui paucis militibus Sarmatarum tria millia incantius agentia occiderunt, fugauissu; quia dicebat infidias subesse posse. Attilius Regulus exercitum fugientem caedi iussit. Cato militem relictum, qui soluta classe, tolli petebat, supplicio affecit. Valerio Cof. victus exercitus iussus est hyemem sub tentorijs agere. Titus Scaurus filium, quod loco cessisset in conspectum venire vetuit, is verecundia ignominiae mortem sibi conscivit.

In periculo
remitti.

Metellus Macedonius quinque cohortes, quae hostibus cesserant, testamentum facere iussit, ad locum recuperandum remisit, missus non nisi post victoriam receptum in. M. Cur. legione, quae bellum detrectauerat, distinctam stramenta secare iussit, signa eius nomenque aboleuit, & pro supplemento in alias legiones transfecit. L. Piso praefectum Cohortis cinctu togae praefecto, soluta tunica, nudis pedibus in principijs stare iussit quotidie, conuiuijs & balneis abstinere. Corbulo Aemilium Rufum equitum praefectum scissa veste stare in principijs iussit.

Scare.

In vniuersum ipsa militia poena erat, cum etiam sine necessitate laborare cogerentur. P. Natica enim

Scissa veste.

ne in ocio hybernorum miles deflueret, aut corrumpere, classem aedificari iussit.

C A P V T L I X.

Vetus militia cum nostra comparata, quoad arma.

§. 1. Scitum dignum & vtile est, non modo iucundum, an vetus militia cum nostra comparanda sit? Multi omnia vetera mirantur, nostra contemnant. Alij media via incedunt, nonnulli veterem militiam prae nostra aspernantur. Quinque autem sunt, quae in militia consideranda sunt. Nempe delectus, Ordo, Arma, Acies, disciplina. De delectu dixi, nostrum expeditiorem, & si caetera accedant optimorum esse militum, quia volonum. Etsi autem ex faece hominum magna pars militum sit, multi tamen principes, comites, nobiles, diuitesque nomen militiae dant, efficiuntque ut colluuijs illa vulgi regatur, ordinemque, & disciplinam ferat. De ordine etiam nulla quaestio est; veteres suum; nostri nostrum habent, sed accuratum & ex parte meliorem, qui optimis initio collocant, & pressos non cedere sed a succurrentibus iuuari volunt. De armis igitur quaestio agitur.

Honestas
nostra mi-
litia.

§. 2. Iustus Lipsius prudentissimus harum rerum aestimatur, valde ad praeficos inclinat. Nostris bombardis opponit fundas, & iacula. Primo inquit plumbum liquefactum. Lucret.

Plumbea vero
Glans etiam longo cursu voluenda liquefit.
Ouidius. Non secus exarsit, quam cum Balearica plumbum
Funda iacit, volat illud, & incandescit eundo,
Et quos non habuit sub nubibus inuenit ignes.
Lucanus. Inde faces & saxa volant, spatioque solute
Aeris & calido liquefactae pondere glandes.
Statius. Arsuras celi per mania glandes.

Fundarum
violentia.

Imo idem cum fulmine comparat:
Volucres imitantur fulgura glandes.
Poeta fortasse fidem non habes? Philosophus accedat noster
Seneca: Aera motus extenuat, & extenuatio accendit. Sic li-
quescit excussa glans fons, & attritum aeris velut igne
distillat. Et tale in Aristotele alibi scriptum. Nec id tamen
perdit vim teli, sed sic igneum veniebat in corpus.

Virgilius. Et media aduersi liquefacto tempora plumbo
Diffudit, ac multa porretum extendit arena.
Vno ictu ecce interficit. Nec miror de Davide, qui iuuenis &
interfunditores hoc telo immanem Goliathum decedit. At-
que ut semel & plene vim eius noris, accipe Diodori Siculi
ista de Balearibus: ἡ δὲ τοῦ ἀνδρὸς τοῦ πολεμικοῦ τὸν ἄνδρα,
ὅστις ἐν τῷ πολεμικῷ, ὅτε δὴ καὶ τὸ βλάνδον ἀπὸ τῶν κατὰ τὴν
ὀφείδου: iacunt lapides (sic enim & hos, nec solum plum-
bum funda missum) multo maiores quam alij, ita intente
& robuste, ut videatur ictus a catapulta quapiam deferri.
Cum tormento, ut vides, comparat, atque addit: τὸς τε δο-
γεῖς, καὶ τὰ ἄλλα, καὶ τὰν σκεπτικῶν δόλον συντίθεται.

Et luca & galeas, & omne armorum tegumentum perfringunt. Nego, nego bombardis his nostris maiorem vim esse posse, fortasse nec tantam: excipio Musquetta, quae vocant. Iam parte vna certo vincunt funde, quod multo longinquius ferantur & ladant. Quae nostra bombardae ultra ducentos aut trecentos pedes tenorem & vim seruat: languescit, aut aberrat, si protendis. At funde telum ad sexcentos pedes vim pertulit & permisit, quod ita in Vegetio clare scriptum. Sagittarum vel funditores, inquit, scopas, hoc est fruticum vel graminum fascies pro signo ponebant, ita ut sexcentos pedes remouerentur a signo, ut sagittis vel certe lapidibus ex fistibulo destinati signum saepius tangerent. Iungit hic cum sagittis, & sparium versique dat, quod dixi:

Fundus ma-
ior ut quā
bombardis.

at alij